

optima viuēdi ratione vtatur. Vescatur carnibus iuuenum animalium, & optimis quibuscunq; cibarijs, ouis recētibus, pullis, auiculis, piscibus faxatilibus, vino autem albo, aut claro medij coloris, ac boni saporis. Corpus valde exerceat quantum potest. Ab alijs piscibus & falsis carnibus, anseribus, oleribus & cæteris abstineat, sed à coitu maximè, omnes autem molestias fugiat.

## CONSILIVM CCCLXIX.

De psora occupante vniuersum corpus, cum vertigine & grauitate capitis, xij. Maij Anno 1549. in colloquio cum Balneato & P. Crasso.



**V**M sint duo præter naturâ: primum, quod sensu nō ita deprehenditur, difficultas anhelitus, vertigo, grauitas capitis, tinnitus aurium cum destillatio ne: secundum occurrit sensui visus, & est defœdatio cutis pustularis, & asperitates: hæc principaliter sunt consideranda: nam de illis maximè conueritur. Primum apparet sensui visus & ex colore singulorum membrorū affectiones discernuntur: quæ quidem proueniunt à materia collecta. Natura materiæ deprehenditur ex colore: videmus enim pustulas tã in facie, quàm in cruribus & toto corpore, quæ tendunt ad fuscèdinem, partim rubent, partim nigricant: rubedo circa faciem magis, in alijs partibus nigredo magis. Nonnunquam illæ pustulæ in diuersis partibus erumpentes faciunt suppurationem, & inde exit pus. Consideranda natura ex colore. Sanguis dominatur cum bile, vel sanguine melancholico, erumpens ad cutim. Videndum quo nomine debeat appellari. Medici occupati sunt valde circa hoc nomen. Ex vna parte accidens est hic affectus, ex alia parte ægritudo. Sunt morbi dependentes ab eadem causa secundum ordinem, ab eadem materia, sanguine adusto melancholico. Quidam est vniuersalis, quidam particularis. Particulares sunt, qui occupant tantum partem corporis, nō totum corpus, vt cancri, lichenum omnes species, pendent ab eadem materia, sanguine melancholico crasso. Quædam ab eadem materia dependentes occupant totum corpus, vt elephantiasis, lepra, psora. In isto corpore non est morbus particularis: nam æqualiter occupatur ab ista defœdatione: fitq; à melancholia cum sanguine, & sic est morbus vniuersalis. Non est elephas: nam elephas habet proprium vt occupet carnem & ossa: sed ista defœdatio non nisi extimam cutim inuasit. Nec est lepra: nam lepra habet pathognomicum accidens, vt decidant squamæ, vnde habuit nomen, quia squamæ quotidie decidunt. Galenus distinguit psoram à lepra, quia lepra non habet asperitatem & inæqualitatem, vt psora. Videmus hinc inæqualitatem & asperitatem cum pruritu, quod psoræ longè magis proprium quàm lepræ: vnde ponenda hæc affectio sub capite psoræ. Differunt omnes morbi vniuersales inter se, quod vt sciamus, plurimū facit ad curationem. Differentia verò est in crassitudine materiæ peccatis vel humoris. Humor melancholicus naturalis cum sit hu-

mor crassus, fœculētus, non facit nec psoram nec lepram, quia non potest excerni ad partes cutis. Vbi autem humor est subtilis, tenuis, vaporosus, transit ad cutem, sed difflatur propter tenuitatem suam: vbi crassior est, non potest difflari. Et illa materia est vel quieta, vel mota. Si est quieta, adhæret musculis, & facit lassitudinem vlcerosam. Si mota, & transit ad cutem, difflatur, facit sudores: si non difflatur, facit pruritus, & alia genera pustularum diuersa circa corpus. Si admodum crassa, non exit ad cutem, sed adhæret musculis, occupat partes solidas. Ac si corrumpit ossa, fit elephas. Vbi verò subtilior est magis declinans ad sanguinem, participans humore pituitoso falso, transit ad cutim, facile expellitur, non tamen potest exhalare, sed adhæret, & facit vel lepram vel psoram: psora autem magis habet de humore melancholico: lepra magis de falso, & valde æqualiter inhæret, non facit eam asperitatem, quia liquidior & humidior humor facit superficiem æqualem: vbi autem exaruerit, facit squamulas ex humore pituitoso exiccatas, quemadmodum fiunt in superficie capitis furfures, vbi difflatur pituita ex capite, & circa cutim exiccatur. Vnde qui abundant squamulis illis, habent caput valde humidum, quia pituita cum exarescit, facit squamulas. Psora autem quia fit ab humore magis adusto, facit inæqualitates cutis: proprium enim sicci est 4. Meteor. vt sit causa asperitatis, vt humidum est causa leuitatis. In lepra est leuior cutis quàm in psora, quæ dependet ad humore melancholico, qualis hæc est, non tamen ita crasso vt faciat elephantem, sed tamen crassiori quàm vt faciat lepram. Humor diffusus in toto corpore non est æqualis, commixta est pituitosa materia & sanguinea. Non igitur mirum, si ea materia humida putrescat & faciat pus, & apparent pustule, quæ à Græcis psydraciæ, ab Arabibus saphah vocantur. Hæc est natura morbi quantum ad causam formalem. Quantum ad causas efficientes, sunt intrinsecæ & extrinsecæ. Membrum quod generat omnes humores, est hepar: ad hepar ergo referenda causa efficiens, tanquam ad membrum principale, quod secundum propriam temperaturam generat humores. Si moderatè calidum est, sanguinè generat: de bile autè & humore melancholico, facit quatum opus est: si maior caliditas, & hepar calidius sit quàm par est, plus de bile generatur, & appellantur tales, choleric, in quibus propter caliditatem hepatis generatur plus de bile quàm de reliquis. Vbi intenditur caliditas, & minuitur humiditas, generatur humor melancholicus. In paracraftica ætate calidi & sicci, fiunt melancholici, quia acquiritur caliditas ex diminutione humiditatis, nō generatur bilis, sed humor melancholicus. Hoc hepar est supercalefactū, & videtur à primo ortu tale esse quod excesserit notabiliter ad calidū, per siccum & humidū non multum. Qui habent caliditatem solam, absque passuarū excessu, plurimū carnis generant. Qui calidum & humidum, abundant plurima pinguedine. Probabile est quod fuerit calidum naturaliter, absque excessu humiditatis & siccitatis, temperatum in passiuis, redundans in calido. In habentibus

Elephas

Lepra.